



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**ITINERARI[I] || ITALIAE || RERVMQ. ROMANARVM || LIBRI  
TRES ||**

**Schottus, Franciscus**

**Antverpiae, 1600**

De septem Urbis Romæ Ecclesiis. IIII.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70633](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-70633)



DE SEPTEM VRBIS ROMAE  
ECCLESIIIS.

*Quae maximè à piis hominibus magnis sum-  
morum Pontificum Indulgentiis  
frequentantur.*

C A P. IIII.

**T**EMPLORVM factorum Romæ forma  
varia variis ætatibus placuit.

Alia enim circulari figura, sine columnis &  
contignatione, ac fenestris: in medio tecti am-  
plo foramine lumē præbente. Quorum specta-  
tu dignissimum Pantheon, hodiè B. Mariæ  
rotundæ.

Alia circulari forma, varioque columnarum  
ordine, vt S. Stephani in Cœlio, olim Fauni: &  
B. Constantiæ extra Viminalem portam, via  
Nomentana: olim Baccho sacrum putatur  
fuisse ex tumba.

Alia quadrata, & ordine columnarum recto  
& plerumque vno tantum interdum duplicato:  
vt in magnificentissimis S. Ioannis Lateranen-  
sis in Cœlio: S. Petri in Vaticano: S. Pauli,  
Ostiensis via: S. Agnetis extra muros.

Alia pilas dumtaxat habent & columnas in-  
teriectas: & fenestellas sub ipso tecto, plures  
alias, alias pauciores, pro ædificij aut amplitu-  
dine, aut magnitudine.

Fornicata rarissima, Romæ reperiuntur. Frons  
artificij habet plurimum, spectarique dignum  
Columnę templorum plurimum preciosę, è va-  
riis marmorum generibus.

Pauimenta quoque marmorca, sæpe etiam  
tessellata.

Tholus



Tholus insignis B. Petri, auspiciis Xisti v. Pont. Max. nuper absolutus. Pij quoque v. iussu templa ruinam minantia, à Cardinalibus restaurari cœpta.

1. S. CRUX IN HIERUSALEM.

**I**N Cœlio monte, vna è septem maximè religiosis vrbs Romæ Ecclesiis templum mundum & elegans, ab Helena Constantini magni Imp. matre ædificatum, columnis xx. Sunt & hic duo marmorea monumenta è nigro, subrufo, & candidissimo marmore. Summi altaris tectum v. marmoreis columnis sustinetur. Solum loci illius è terra sancta Hierosolymis aduectum fuisse inscriptio testatur, & asylum ibi olim fuisse sub Romulo, auctamq; inde à Tullo Hostilio urbem, pomerioque additum olim fuisse referunt: vt vbi olim sceleris impunitas, ibi sub **CHRISTO** criminum venia tribuatur. Hic Benedicti vii. Pont. Max. tumulus versibus inscriptus; Francisci item Quinnonij, & Bernardini Carauailli Hispanorum Cardinalium, ac Petri Albi Belgæ sculptoris egregij.

2. S. SEBASTIANI ET FABIANI.

**T**emplum oblongum in via Appia, simplicis structure, pavimento marmoreo, & adiecto monasterio, sed deserto. Hic primum corpora SS. Petri & Pauli quicuerunt: Ara maior quatuor columnis nixa. Tectum lapideum, vt plurima Romæ. Sub cancellis Stephanus PP. & Martyr conditus. Sacellum est subterraneum xii. gradibus: & Crypta ac cœmeterium B. Calixti Pape & Martyris: & reliquæ amplius clxxiiii. millium SS. Martyrum, & xlvi. beatorum summorum Pontificum corpora quiescunt.

G

Huius



Huius templi distantia facit, vt interdum æstuante nimis sole, eius loco *B. Mariae populi* ædem sacram Pontifice indulgente, p̄iobeât. De hac in Templorum Catalogo mox agam.

### 3. S. IOANNIS IN LATERANO.

**T**emplum vnum in *v i t.* Urbis Ecclesiis, Pontificum olim Romanorum sedes, in monte Cœlio: cui nostra tempestate Xistus v. P. P. palatium instauratum à fundamentis adiecit, in quo Lateranensis sæpe Synodus Romæ habita fuerat: vt in hac basilica eleganti coronam auream accipere Romani Imp̄p. solebant: vtque pauimentum marmoreū, sic & laquearia inaurata conspiciuntur. Diuorum hîc reliquiarum multe. Capita principum Apostolorum Petri & Pauli: S. Stephani tunica, sanguine tincta, & lapidibus perforata: aliaque, de quibus ibidem ad aram summam diploma legitur Sixti v. Pont. Max. Marmor itidem incisum cum Gregorij Papæ bulla, fidei apud posteros confirmandæ. Nicolaus eam i v. p. m. valde ad annum Christi *m c c x c i.* instaurauit, quod tituli opere musiuo in fornice abundè testantur. Columnas illas striatas Vespasianus Imp. Hierosolymis aduexisse traditur.

In sacello Lauacri Constantini, membro ædi sacræ adiecto, vbi à B. Syluestro Constantinus lauacro regenerationis tinctus fuit, additum sacellum, mulieribus ideo clausum, quodd Ioannis Baptistæ mortis causa mulier Herodias extiterit. Columnæ porphyreicæ cum fricâtur, violarum odorem referre aiunt, & è Pilati ædibus allatas, cum porta ex atrio Pilati columnaq; cui gallus gallinaceus insidens, terque canens, Petro ter abneganti Dominum fuit pœnitentiæ nuncijs. Hîc & Arca fœderis, &



& Aaronis virga, aliaque ab aliis, quos nominamus, diserte prodita, & crebro publice ostensa peregrinis hominibus. Hic Siluestri I. Pont. Max. Epitaphium versibus scriptum legitur, & Antonij Card. Portugalensis: item Laurentij Vallæ, ibidem olim Canonici, qui anno. c. d. cccc. lxxv. Kal. Augusti quinquagena-rius obiit: cum hoc Elogio:

*Laurens Vallæ iacet, Romana gloria lingua:*

*Primus enim docuit qua decet arte loqui.*

Ibidem & PORTA sancta, quæ incunte anno seculari sacro, (vulgo Iubileij) aperiri à Pontificibus de more consuevit.

#### 4. S. LAURENTIUS

*extra portam Esquilinam.*

**A** Edes pulcra, marmoreis nixa columnis xxxvi. Hæret huic monasterium Canonicorum Regularium S. Augustini. Crypta hinc, qualis ad S. Sebastianum, Martyrum ossa continens plurimorum, ex cœmiterio Cyriacæ matronæ: & reliquæ hinc B. Laurentij. Lapis cancellis inclusus, cui iam affatus, de craticula impositus Martyr expiravit, Deoque victor animam reddidit. Tumba hinc ad dexteram, cum statuis, agnū ad victimam ducentibus, Gulielmi Cardinalis S. Eustathij, nepotis Innocentij Papæ IIII. Cetera oculis lustra, Martyrumque suffragia pius implora, vestigiaque adora.

#### 5. S. MARIA MAIOR,

*in Esquilino colle.*

**T**emplum augustum, inter cetera, operis musivi, longitudine pedum cccxii. latitudine cxi. Pavimentum opere tessellato, at-



que emblemate vermiculato, laquearia item inaurata. Altaris mensa, & vrna porphyretica, in qua conditus Io. Paulus Basilicæ conditor. Hic præsepe Domini, antiquis litteris inscriptum, nunc in crypra subterranea sacrificiis frequentatur piorum. Pius enim v. sacellum inchoarat, perfecitque Xistus v. opere egregio; grato animores ab illo præclare pro domo Dei gestas tabulis publicè testatus, ad posterorum memoriam sempiternam. Hic & sepulera Diui Hieronymi, & imago verus supra portam Cardinalis habita. Monstrantur & Alberti & Ioannis Normandi. Recentiorum verò, Platinae historici rerum à Pontificibus gestarum, & Lucae Guarici Mathematici & Episc. Ciuitatis, aliorumque illustrium. vt Franc. Toleti Card. Societate Iesu. Picturæ hinc per antiquæ supra columnas, quarum in Conciliis mentio, aduersus Iconomachos. Pro foribus, vt & ante B. Ioannis Lateranensis ædem, obeliscus erectus à Xisto v. incredibili sumptu, cum Notis Hieroglyphicis.

6. S. PAVLVS,  
*in via Ostiensi.*

**A**Mplum & pulcrum templum, à Constantino Magno ædificatū, longum pass. cxx. latum lxxxv. Fulcitur columnis marmoreis striatis xl. aliisque totidem rotundis, & paulo minoribus: vt sint in vniuersum cxliii. Pavimentum marmoreum, multæque hinc antiquæ Rom. Inscriptiones, quas alij collectas edidere. Altare summum iiii. columnis porphyreticis marmoreis sustinetur, ad quod imago Saluatoris frequenter ostenditur, quæ S. Brigidæ oranti locuta, vt inscriptio, & appensa tabula testatur. Duo marmora, in quibus Euangelium & Epi-



Epistola in sacrae Liturgiae officio recitatur. In fornice miraberis opere musiuo egregie expressum Saluatorem, SS. Petrum & Paulum, & Andream, cum dictis cuiusque, mortisque CHRISTI insignibus & instrumentis. Instaurauit nuper egregie Clemens VIII. Pont. verè optimus. In portis æneis sacrae historiae incisæ variæ, Græcè & Latinè expositæ: testaturque titulus Alexandro IV. Pont. Max. à Pantaleone Cos. fieri iussas. Sepulcra hinc Pontificum legas, Ioannis, qui obiit an. 1472. Benedicti IX. aliorumque, vt Petri Leonis, versibus echionis, vt illis temporibus sub Leone II. conditum Epitaphium. qui que portam aperuerit annis sæcularibus sacris, Iulius III. & Gregorius XIII. referuntur. Curatur hodiè (quod locus ob cæli inclementiâ desertus sit) à Cisterciensibus monachis, qui in Quirinali habitant. Suprà ad aquas Saluias

S. PAULI Sacellum visitur, ab Alexandro Farnesio Card. an. MD. IO. LXXXII. ex parte instauratum. In sacrario reliquiæ Sanctorum sunt Columna, in qua S. Paulus capite truncatus: Equuleus, qui Martyrum appendi pedibus lapis soleat: In delubro Portæ cæli Martyrum 2203. sub Nerone, reliquiæ sunt. Ad tres fontes quia locus Martyrij S. Pauli fuit, preces religiosè fundantur.

#### 7. S. PETRVS IN VATICANO.

Templi S. PETRI fabrica, sumptu, magnificentia, marmoribus, & opere superat omnia orbis terræ templa: præferrim noua structura, cui tholum nuper Xistus V. P. M. imposuit magnificentissimum, & sacellum inauratum Gregorius XIII. B. Gregorio Nazianzeno consecrauit. Vincit haud dubiè Ephesium illud, vnum in VII. orbis miraculis, ab



Erostrato incensum, ut hoc flagitio nomen ad posteros, obscurum alioqui transmitteret.

Vetus templum fulciunt **xxiv.** columnæ. Harum marmor admirandis coloribus variegatum est. Nihil usquam gentium spectatur elegantius, ne quidem Venetiis in æde S. Marci, incrustata tamen egregiè marmoribus è media Græcia allatis. Allatæ sunt hæc è proxima Hadriani Imp. mole: quo Principe nemo, ingenio, nemo industria magis valuit, animique dotibus. Columnæ ad S. Eucharistiæ facellum, tortiles, & foliatis gyris cinctæ, & illæ quæ sudarium Veronicæ, vulgò *Vulto sancto* sustinēt, & quinque in sacello sacro, vna item in medio fabricæ nouæ Hierosolymis à Tito Vespasiano aduectæ putantur è templo ac palatio Salomonis, deuictis Iudæis, vrbeque funditus euerfa: indeq; in Italiam translatas ferunt, ut & illas columnas, quæ Venetiis in chori superioris parte extrema visuntur, ex alabastro diaphano factæ. In templi area quæ Paradisus nominatur, ingens nux est pinea, & duo ærci pauones, translati è mole seu Pyramide Scipionis Africani, quæ olim in valle Vaticana fuisse dicitur. Ad parietem opus est tessellatum, singulari artificio, à Romanis laudatur. Sed vincit opus hoc musium templi S. Marci Venetiis incrustatio Græcanici operis, cum veteris, tum recentis, egregiè vermiculata, vel inuidia iudice. Ibidem marmoreum sepulcrum è lapide porphyretico, Othonis II Rom. Imp. Nusquam in Italia maior porphyrus spectatur; excepto tecto S. Mariæ rotundæ Rauennæ, quod olim monumentum fuit Theodorici regis Ostrogothorum. Igitur veterem hanc basilicam columnis nixam Constantinus Magnus Imp. exædificauit: nouam largè augustissimam Iulius II. P. M. anno **clv. lxxvii.** à fundamento, præsentibus



xxxv. Cardd. iacto lapide excitauit. Michael Angelus Bonaretus Florentinus architecturæ auctor. Gregorius xiii. Sacellum B. Gregorio Nazianzeno inauratum dedicauit. Xistus v. tholum summa celeritate imposuit. Portam æneam cum CHRISTI & B. Virginis imagine, Pauli item & Petri, Eugenij iiii. auspicijs Antonius Florētinus fecit. Hebdomade maiore CHRISTI facies linteo Veronicæ impressa quotannis ostenditur. Iuxta est B. Virginis marmorea imago, Christum mortuum sinu tenentis: opus Michaelis Angeli, vt & Iudicium orbis vniuersi supra in sacello Pontificis. Petri nauicula opere musiuo intrātibus occurrit Orientem solem spectantibus. Pineæ æneæ in medio aræ: è Scipionis esse sepulcro fabulantur. Hic & Othonis Imp. porphyreticum sepulcrum fuit, anno 1489. conditi.

In Odeo, quem Chorum cantorum vulgò nominant, Xisti iv. æneum est monumentum, dormientis forma. Vtrimque virtutes. circum Theologia, Philosophia, artesque liberales vii. cum inscriptione. Opus est Ant. Poliloli, anno Dom. 1492.

PONTIFICVM hinc vt plurimum sepulcrum, quos per Saturam, nulla habita temporum ratione, recensero.

Innocentij viii. æneus tumulus.

Pius iiii. Medices Mediolan. an. 1565.

Paulus ii Venetus. an. 1477.

Marcellus ii. Pont. Max. breuis æui fuit, sedit xxii. diebus.

Pius ii. natione Tuscus, an. 1464.

Pius iii. sororis Pij ii. F. Obiit an. 1503.

Iulius iii. P. M. sine inscriptione.

Leo x. & Clemens vii. Florentini hinc depositi.

Horum verò Pontificum Epitaphia carmine conscripta leguntur.



Nicolai v.

Eugenij IIII.

Vrbani VI.

Hadriani primi, multis versibus.

Gregorij I v. &amp; v. Bonifacij IX. Neapolit.

Pauli III. &amp; æneum est sepulcrum in noua Basilica.

Petri Balbi Episc. Tropiens. hominis Græcè doctissimi ibidē tumulus. &amp; Card. dela porta.

Pontificibus enim summis hic locus meritò dedicatus. Laurentij tamen sculptoris Florentini legitur :

*ROMA mihi tumulum tribuit, Florentia vitam:  
Non alio vellet nasci, & obire loco.*

Sed de sacrosanctis VII. Vrbis Ecclesiis accuratè scripserunt, si quis sitim explere volet, Onuphrius Panuinius, & Attilius Serranus: ille etiam *De Cæmeteriis vrbis Romæ, ac Stationibus*, cum Vitæ Pontificum Barth. Platinae.

Italicè verò ac disertè Pompeius Vgonius, Theologus, & Eloquentiæ Romæ doctor, ac Cardinalis Ascanij Columnæ bibliothecæ instructissimæ, quæ olim Gul. Sirleti Card. hominis doctissimi fuit, Præfectus. Nos gustum dumtaxat dare, & digitum, quod aiunt, ad fontes intendere, & occupatis ac festinantibus gratificari studuimus. Quibus si abundè factum fatis, est cur gaudeam.

Nunc ad minores ædes sacras, seu Sacella litterarum serie, non locorum, *sub D. S. P. trans-*  
eamus.